

*Jesus sicut Elias et Eliseus non ad Iudæos
tantum mittitur.*

✠ Lécitio sancti Evangélii secúndum Lucam

4, 21-30

In illo témpore:

- ²¹ Cœpit Iesus dícere in synagóga:
«Hódie impléta est hæc Scriptúra in áuribus vestris».
- ²² Et omnes testimónium illi dabant
et mirabántur in verbis grátiaë,
quæ procedébant de ore ipsíus,
et dicébant:
«Nonne hic filius est Ioseph?».
- ²³ Et ait illis:
«Utique dicétis mihi hanc similitúdinem:
“Médice, cura teípsum;
quanta audívimus facta in Caphárnaum,
fac et hic in pátria tua”».
- ²⁴ Ait autem:
«Amen dico vobis:
Nemo prophéta accéptus est in pátria sua.
- ²⁵ In veritáte dico vobis:
Multæ víduæ erant in diébus Elíæ in Israel,
quando clausum est cælum
annis tribus et ménsibus sex,
cum facta est fames magna in omni terra;
- ²⁶ et ad nullam illárum missus est Elías
nisi in Sarépta Sidóniæ ad mulierem víduam.
- ²⁷ Et multi leprósi erant in Israel sub Eliséo prophéta;
et nemo eórum mundátus est nisi Náaman Syrus.
- ²⁸ Et repléti sunt omnes in synagóga ira hæc audiéntes
- ²⁹ et surrexérunt et eiecérunt illum extra civitátem
et duxérunt illum usque ad supercílium montis,

supra quem cívitas illórum erat ædificáta,
ut præcipitárent eum.

³⁰ Ipse autem tránsiens per médium illórum ibat.

Verbum Dómini.